



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Poemata Ferdinandi Episcopi Monasteriensis Et Paderbornensis, S. R. I. Principis, Comitis Pymontani, Liberi Baronis De Furstenberg

Ferdinand <Paderborn, Bischof, II.>

Parisiis, 1684

Ad Imp. Caes. Ferdinandum III. Aug.

urn:nbn:de:hbz:466:1-7748

Impiaque Odrysiæ contundere cornua Lunæ,
 Victoremque sequi, qua præit arma, Deum?
 Sit fatis armatas in prælia mittere classes:
 Bella gerant alii: tu prece bella juva.
 Consiliis opibusque juva, Zephyrosque faventes
 Sollicita, & faciles ad pia cœpta Deos.
 Sic per te victo Reges Orientè superbi
 Threiciis statuent parta tropæa jugis:
 Et Vaticanas Victoria figet ad aras
 Dereptas Scythicis postibus exuvias.
 Tunc aliquis vates, procerum de stirpe meorum,
 Cantabit famæ tot monumenta tuæ,
 Bellaque signabit titulis: HÆC THRACE SUBACTO
 VICTOR ALEXANDER RETTULIT ARMA DEO.
 Sic cecinit: partem, vates ne vana putetur,
 Lapsa dedit, partem serior hora dabit.

AD IMP. CÆS.

FERDINANDUM III. AUG.

*Cum ejus auspiciis, & munificentia Athanasius Kircherus
 Oedipum Hieroglyphicum ederet.*

NON genus Austriadum demissum a fan-
 guine Divum,
 Non clausum mundi finibus imperium,
 Non victos dicam populos, urbesque receptas,
 Nec Boreæ fractas sæpe furentis opes.
 Hæc memorent, quorum sublimi Musa cothurno
 Surgit, & heroïs concinit arma modis.

B ij

12 FERDINANDI EPISCOPI MONASTER.
 Me mea Musa vetat tantarum pondera rerum
 Tangere : me, quæ sint viribus æqua, juvant.
 Me studia & placidæ sibi poscunt Cæsaris artes:
 Materies numeris convenit ista meis.
 Vates ille pios, & vatum dona piorum
 Excipit, & vatum carmine digna gerit.
 Qua sceptrum gestat, qua jus & regna tuetur,
 Hac etiam Musas protegit ille manu.
 Nec minor¹ Augusto, cujus successit habenis,
 Fundat Apollineis publica templa sacris.
 Ardua Cecropiæ quis nescit fana Minervæ
 Condita, & Aonio tecta sacrata Deo?
 Miratur moles² Viadrus, miratur & Ister,
 In numerum pulsus & sibi plaudit aquis.
 At quæ Cæsareo fulgentia limina sumtu
 Praga videt, certant Delphice Phœbe tuis.
 Qualis & armatas, post impia bella Gigantum,
 Exiit infesto Juppiter igne manus:
 Qualis &, Herculeis cum jam cervicibus axem
 Credidit, excusso pondere cessat Atlas:
 Terrarum dominas sic fessus Cæsar habenas
 Laxat, & imperii grande reponit onus.
 Tum vires, Natura, tuas, ac semina rerum
 Scrutatur docto sedulus ingenio.
 Quis tremor attonitas vertat cum civibus urbes:
 Impellat refluas quis maris æstus aquas:
 Quæ vis divitias ima tellure repostas,
 Dona que gemmiferi procreet Oceani:

¹ Augustus templum Apollinis in Palatio exstruxit, addita porticu cum bibliotheca Latina Græcæque. Suet. in Octav. cap. 29.

² Viadrus Germaniæ fluvius, vulgo Odera.

Quam procul Arctoo concretus frigore Pontus
 Deprensus Nili distet originibus:
 Quam procul Hesperiiis divisum Gadibus Indum
 Hauriat¹ Eoi, quæ rubet, unda freti:
 Unde ea vis ventis: unde ardens Ætna favillas
 Semper, & exesi viscera montis alat:
 Unde Amphitrites falsus liquor: unde teporem
 Ducat Bæianæ vena salubris aquæ.
 Has ubi naturæ partes accessit, in altum
 Fertur ad ætheriæ lucida signa domus.
 Hic illi geminam virgo Marathonia Libram,
 Et sua vicinus subjicit astra Leo.
 Armatusque auro gladium prætendit Orion,
 Debita Cæsareæ præmia militiæ.
 Hic Solis vestigat iter, causasque latentes
 Pallida cur fuscis Luna laboret equis:
 Cur sitiant Afri: cur Septem regna trionum
 Urat Hyperboreo frigore jugis hyems:
 Cur fugiant umbræ, Cancro torrente, Syenen:
 Cur variet major meta minorve diem.
 Sed quota doctrinæ pars est laudumque tuarum,
 Auftriade, magni fidera nosse poli?
 Et circumfuso porrectas æquore terras,
 Qua Sol Eoos lustrat & Hesperios?
 Se tibi Niliacis etiam sapientia chartis
 Eruta, & arcanas explicat historias.
 Nec te sacra latent adytis seclusa verendis,
 Nec lapides, sculptæ marmoribusque feræ.

¹ Pomponius Mela duos sinus in mari Rubro agnoscit, Arabicum & Persicum. Lips. de magn. Rom. lib. 1. cap. 3.

14 FERDINANDI EPISCOPI MONASTER.
 Scilicet Ægyptus doctrinam credere saxis
 Orsa, peregrinas finxerat effigies.
 Ut solis arcana Deum mens cognita mystis
 Falleret abstrusis vulgus imaginibus:
 Seraque posteritas sensim labentibus annis
 Non caperet prisca moris & artis opus.
 O vanas hominum curas! O cæca futuri
 Pectora! Mars ultor nil finit esse diu.
 Barbarus Armenii laceravit poter' Araxis
 Omnia, Niliacos depopulatus agros.
 Tot moles, regum tumulos, tot stantia vertit
 Culmina, regali suspicienda situ.
 Et potuit fugiens, armis cessantibus, ætas
 Servatas etiam vertere reliquias.
 At non æternos olim subducat honores
 Longa dies meritis, inclyta Roma, tuis.
 Tu Pelusiæcum spirantia rudera fastum
 Colligis, & medio tollis ad astra foro.
 Nec tua venturis, Cæsar, delebitur annis
 Fama, nec ingenium nox premet atra tuum.
 Te duce, quis credat? post tot jam sæcula scimus
 Arcani quidquid Memphis & Isis habet;
 Quid velit Inachiæ facies ignota Juvenæ,
 Quid Canis, & sacri mystica forma Bovis;
 Et quæ præterea famosus monstra Canopus
 Prodidit, antiquis conspicienda notis.
 Teque adeo titulosque tuos leget accola Nili,
 Et referet laudes ad sua sinistra tuas.

† Cambyfes Persarum Rex Ægyptum fedissime vastavit.